



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Francisci Bonaldi Societatis Iesv Theologi, Divina
Ecclesiae Oeconomia**

Bonald, François

Coloniae, 1611

XXVIII. De consilijs , quæ Christus perfectioni desiderantibus dedit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48916)

OECONOMIA. 325
CAPVT VIGESIMVM
OCTAVVM.

*De consilijs, quae Christus perfectionem
desiderantibus dedit.*

Vnguento inquit sapiens. & varijs *Prou 27.*
odoribus delectatur cor; bonis amici
consilijs anima dulcoratur. Quod eius
dictum verissimum est; nihil enim æ-
què afflictum cor, quam sapientis, bo-
niq̃ue viri consilium consolatur. De-
cuit itaque optimum, & sapientissi-
mum familiæ Christianæ Architec̃tũ,
Christianis amicis & filijs suis confi-
lia aliquot præscribere, vt & eis expe-
ditionem mandatorum suorum ob-
seruationem redderet, & eos compen-
diosius ad statum perfectionis addu-
ceret: Non itaque illis defuit, sed cõ-
modissimis, & maximè oportunis cõ-
silijs prouidit, vt statim ostendemus, si
prius in quo vitæ Christianæ perfe-
ctio consistat explicauerimus.

Docent Theologi vitæ Christianæ *D. Th 2.2*
summam perfectionē in summa cha- *q. 184. a. 3.*
ritate consistere: illa enim est, quæ nos
ultimo nostro fini, qui Deus est arctis-
simè vnit, vnde S. Ioan. ait. *1. Ioan. 4.*
Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.

O 7 & S.

Coloff. 3.

Duo gra-
dus Chari-
tatis.

& S. Paulus ante omnia ad charitatem nos adhortatur dicens, *Super omnia autem hac charitatem habere, quod est vinculum perfectionis.* Notandum autem, quod sicut charitas duos gradus habet, ita & perfectio: Prior gradus in eo consistit, quod Deum super omnia & proximum sicut nos ipsos diligamus, & quaecunque huic amori contrariantur, ut sunt peccata mortalia, rejiciamus. Posterior gradus in eodem amore consistit, verum ita, ut non solum omnia contraria repudiet, verum etiam quavis minuta impedimenta removeat, qualia sunt terrenarum recreationum, sensuum recreationes, & his similia: Hi itaque duo gradus charitatis, & perfectionis sunt, quorum prior ad salutem simpliciter necessarius est, & sub preceptum cadit: posterior haudquaquam, ut necessarius iubetur, sed ut utilis consulitur, atque hoc ipsum Ambrosius docuit cum dixit *Quodcumque supra legem est non iubetur sed ut magis tutum consulitur* & secundum Augustinum. Alia res consilium est, alia preceptum, qui consilium libere suscipit, maiorem gloriam consequetur, qui autem preceptum non implevit, eter-

Ambr. ep.
32.

nam damnationem non euadet, nisi se ab his per poenitentiam liberarit.

Vidimus igitur perfectionem vitæ Christianæ in charitate cōsistere, huius autem infimum gradum mandatorum obseruationem esse; altiore vero consiliorum executionem.

Quibus expeditis videndum est, quænam sint consilia, quænam eorum dignitas, quantaue utilitas. Loquendo autem generaliter secundū Doctorū opinionē, dicere licebit, omnia opera bona, quæ præcepta non sunt, esse opera consilij; vel ut S. Augustin. loquitur supererogationis, ut sunt frequentiores orationes, & ieiunia, quæ imponantur, plurimæ eleemosynæ, ad quas non obligamur; remissio iniuriæ cuius vindictam in se expetere licebat, & similia multa, quæ in varijs scripturæ locis, tam à Christo, quàm eius Apostolis cōmēdata fuerūt, uti ipsorum verba allegando facile demonstrare possemus: Nos tamen breuitatis studio dicimus illa esse præcipua Euāgelij cōsilia, super quæ omnes Religiosorum ordines fundantur, scilicet. Paupertas voluntaria, castitas perpetua, & obediētia suo Prælato debita. Paupertatē cuidā suauit Christus dicēs, Si

Aug. quæst

Euang. 6.

19.

D. Th. 1. 2.

q. 108.

Tria præ-

cipua con-

silia.

Matt. 19.

Luc. 18.

vis ad vitam ingredi serua mandata, vlt
terius addens, Si vis perfectus esse, vade
vnde vende qua habes, & da pauperibus, &
habebis thesaurum in caelo. Castitatem

Matt. 19.

aut consuluit nobis cum eunuchos vo
luntarios, id est, qui firmiter proposu
erunt in perpetuum castè viuere lauda
uit, & approbavit. Obedientiã verò

Matth. 16.

commendavit, cum dixit, Si quis vult
venire post me abneget semetipsum, tollat
crucem suam & sequatur me. Quamuis

Basil. con-

stit. Mo-

nast. c. 23.

enim hæc verba omnibus Christianis
accommodari possunt, specialiter te
men, vt docet Basilus eos qui se totum

2. Cor. 8.

Matth 8.

ex toto Christo, eiusque vicarijs subijce
runt, cõcernunt. Atque hæc sunt tria præ
cipua cõsilia euãgelica, quæ Saluator
noster, tam ore docuit, quàm opere & ex
plo monstrauit; Nam de ipso ait Apolto
lus, Quoniam propter vos egenus factus
est cum esset diues; vt illius inopia vos di
uites essetis & de seipso Christus. Vul
pes foras habent, & volucres caeli in
dos: filius autem hominis non habet vbi
caput reclinet, & euangelizã satis do
cèt, ex solis bonorum hominum elec
mosynis Christum, cum suis vixisse.
De castitate eius indignissimum esset
dubita-

dubitare; natus enim de purissima Virgine, toto vitæ suæ tempore mundissimus virgo permanfit. De obedientia, si quæras, habemus in scripturis, quod *Subditus erat illis*, scilicet matri *Luc. 2.* suæ Mariæ, & nutritio patri Iosepho; Deo autem patri usque ad mortem, *Philip. 2.* mortem autem crucis obediuit.

Neq; tamen vana sunt ista consilia, & sine fructu: nam ea tanti Apostoli, & primitiuæ Ecclesiæ primores, alijq; vsq; in hunc diē Christiani impleuerunt nunquam enim monachorū, monialiūque examina defuerunt, qui in Paupertate, Castitate, & Obedientia viuentes vitæ sanctitate plurimū splenduerunt: Nam paupertatē professi, & omniū rerū proprietatē exuētes, avaritiā malorū omniū radicē abijciunt: Viuentes autē in castitate, ac à licitis etiā abstinētes, luxuriā & illicitas voluptates reprimunt, Obedientiam verò promittentes, & seruantes diaboli superbiam, & impetum prosternunt.

Si dicas, Multos sæculares homines, *Præoccup.* hæc consilia non professos, concupiscentias suas optimè refrænare: Respondebo verū id esse, sed addā ab ipsis hoc fieri

fieri minore cum merito, & maiore labore; eo ipso enim quo bona temporalia possident, mille anxietatibus & difficultatibus distrahuntur: Nam he sunt spinæ, quæ semen Evangelicū, Christus ipse interpretatur, suffocant, & animumque hominis, ut ait Gregorius, diuersis cogitationibus, & pungunt, & lacerant: Summa enim difficultate acquiruntur, & tamen, *Non minor est virtus, quam querere, parva tueri*, & frugaliter distribuere; Vnde mirū non est, si spirituale semen deuotionis opprimant, ac gustum spiritus inticiant. Coniugati autē quantūcunque fideliter castitatē, & fidē coniugale seruent, tamen, ut cū Apostolo supra diximus,

1. Cor. 7. Tribulationem carnis habebunt eiusmodi. Illi verò qui nullis certis Superioribus subiecti, suo se ductu ac arbitrio regant, in varios frequēter errores incidunt: cum enim in propria causa cæci sint, sæpius id eligunt, quo vehemētia suæ passionis impelluntur: Certū itaque est, homines laicos & seculares, cæteris paribus, non tantum in virtutibus progredi, quantum Religiosi, licet forte plus operis, ac laboris subinde

Matth. 13.

Gregor.

Hom. 15.

in Euan.

1. Cor. 7.

subinde impendant. Si autem is, qui
 præter mandata etiam consilia obser-
 uat, præstantiora opera facit, quã ille,
 qui sola præcepta custodit, fateamur
 necesse est eum, & meritum suũ auge-
 re, & ampliorem gloriæ coronã pro-
 mereri, vt docet August. & confirmat
 Hieron. cum ait: Dominus dicit in Euan-
 gelio ad eum, qui se iactauerat legis vni-
 uersa implere si vis perfectus esse, vade,
 vende omnia & sequere me, Ne videre-
 tur graue onus nolenti imponere, in pro-
 pria audientis voluntate dimisit dicens,
 si vis perfectus esse; vbi enim consi-
 lium datur liberum manet facere,
 aut non facere, cum verò quippiam
 præcipitur, necessitas sequitur fa-
 ciendi, maius autem meritum ha-
 bet, quod non coactè, sed spontaneè
 offertur; & Ratio est, quia actus su-
 pererogationis, seu consilij eliciuntur,
 aut imperantur à virtutibus altioris
 ordinis, quam actus præcepti: Et quan-
 tumuis nihil haberent peculiare præ-
 ter votum adiunctum, hoc ipsum ta-
 men solum, & ad maius meritum, &
 perfectionis augmentum sufficeret,
 per votum enim fiunt sacrificia Deo
 gratis.

Aug. serm.
 6. de tēp.

Hier. l. 2.
 adu. Ioui-
 nia. c. 5.

D. Tho. 2.
 2. q. 88. a.
 5. c. 6.

gratissima, & ipse vouens, tam ea quæ
 vouet, quam nō vouendi potestatem
 quam habet, Deo offert, vnde simile
 est illi inquit Anselmus, qui cum fr
 etibus simul arborem alicui donat
 Deinde, sicut peius est obstinatè malè
 agere, ita melius est determinata per
 votum voluntate bonum operari. De
 nique, qui hæc tria consilia Paupertatis,
 castitatis, & obedientiæ implent,
 se perfectissimo omnium virtutum
 exemplari, & Idæ Iesu Christo magis
 conformant, & consequenter di
 uinæ maiestati gratiores sese re
 dunt.

Ansel. l. de
 Simil. 6.
 84.

Manifestum itaque manet consilia
 hæc commodissima esse, vt ad perfe
 ctionem nos perducant, & magnam
 illam mercedem, ac diurnum denarium
 promereamur; Neq; de eo dubitandū,
 nam securos nos reddidit Christus, cū
 Petro dicenti, *Ecce nos reliquimus om
 nia & secuti sumus te*, respondit, *vos
 qui secuti estis me, in regeneratione cum
 sederit filius hominis in sede maiestatis
 suæ, sedebitis & vos super sedes duode
 cim, iudicantes duodecim tribus Israel: Et
 omnis qui reliquerit domum, vel fratres,*

Matt. 19.

aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut
 uxorem, aut filios, aut agros propter no-
 men meum, centuplum accipiet, & vitam
 aeternam possidebit.

Hæc autem commoda sunt, & utili-
 tates, quæ consilia Euangelica sectan-
 tes consequuntur, modo videamus,
 quæ utilitas & dignitas toti Ecclesiæ
 inde emanet, ut cunque illud intelle-
 ctu consequemur, si aduerterimus,
 quomodo eam omnium ordinum Re-
 ligiosi peculiariter iuuerint, ac etiam
 nunc iuuent, ac illustrent: Hi enim à
 mille millenis curis, & sollicitudini-
 bus temporalibus liberi, multisque
 peccandi occasionibus exempti, quo-
 tidie in virtutibus crescunt, & profici-
 unt, & maiorem indies rerum diuina-
 rum cognitionem assequuntur, & Ec-
 clesiam Dei sua virtute exornant, sci-
 entia autem ædificant; Quod ad e-
 uidens est, ut probationis haud egeat:
 Vbi enim inuenire est plures animas
 sanctas, quam in domibus religiosis &
 monasterijs? Vbi habebis, qui plures
 utilissimos libros conscripserint, In-
 fideles cõuerterint, hæreticos ac scis-
 maticos contuderint, quam in mona-
 chorum

Religiones
 Ecclesiam
 exornant:

chorum claustris?

*Varietas
ordinum.*

Omnes ad vnum Religiosi triū
lorū consiliorū expressam professio-
nem faciunt, tāquā quæ vitæ perfecti-
oni essentialia sint, & in hoc omnes
pares sunt: Verum præterea singuli
ad specialia quædam consilia astrin-
gunt, & in illis differunt; Quidam
etissimè silentiū colunt, vt contem-
plationi ac diuinis laudibus commo-
vacent, cum Moyse in monte orantes
pro his qui instar Iosue in campestribus
præliantur: Alij contemplationem
actionem adiungunt, & se varijs ope-
ribus Misericordiæ, tā spiritualibus
quam corporalibus ad proximorum
solatium & profectum dicant; Hic
quidam stipem pro redimendis capti-
uis corradunt, eorumque liberationem
procurant; alij summa diligentia in
firmis deseruiunt: cæteri sacramenta
ministrant, concionantur, docent,
ob hæc in Indiã vsq; orientalem & occi-
dentalem, variasq; mudi Regiones, fideli-
um, infidelium, hæreticorum
scismaticorum, etiam cum certissimo
capitis sui periculo, vt proximorum
salutem procurent abeunt.

Est itaque quod Ecclesia sponso suo
 CHRISTO gratias agat de omnibus
 istis beneficijs, gaudeatque. Ipsi
 autem qui Ecclesie huiusmodi obse-
 quia prestant, laudent DEVM, quod
 ad eius speciale seruitium sint euoca-
 ti; nam ut inquit quidam Doctor,
 cum Religionem intrauerunt para-
 disum terrestrem ingressi sunt, ut
 postea facilius ad coelestem conscen-
 dant: Sed finem facio, tum quia
 Religionis commoda infinita sunt;
 tum quia Hieronymus Platus, tam
 exacte de bono Religiosorum per-
 tractauit, ut me operepretium fa-
 cturam desperem, si ea enumerare an-
 nitar. Hoc unicum Religionem in-
 gressos rogo, ut perseuerent, & de vir-
 tute in virtutem progredi laborent;
 hoc obiter eos monens, quod sicuti
 perseuerantia & profectus in Religi-
 one est certum signum predestina-
 tionis, ita contrarium Reproba-
 tionis est argumentum; Nam ut
 inquit CHRISTVS, *Nemo mittens*
manuum suam ad aratrum & respici-
ens retro, aptus est Regno DEI: & San-
ctus Bern. docet qui in via Domini no-
vult

Religio.
 paradisu.

Luc. 9

vult proficere, inde excidere. Firmi
 itaque & constantes in sua vocatione
 persistant, & de virtute in virtutem
 semper progredi conentur; eduxit eos
 Dens de captiuitate Aegyptiaca huius
 mundi, caueant sibi eo redire aut in
 star Israelitarum alia, porrumue de
 siderare, bona inquam & commoda
 huius seculi quæ semel sponte deseru-
 erunt repetere, omnibus enim hiis
 renunciarunt & votis suis astricti, Chri-
 stum Pauperem, castum & obediens
 sequi tenentur. Neque hæc obligatio
 dura aut molesta putanda est, cum di-
 cat Augustinus, *Felix illa necessitas quæ
 ad meliora nos cogit*: Dominus autem
 qui illis hæc ipsa consuluit & volun-
 tatem ad ea se obligandi inspirauit,
 suam gratiam quoque qua adiuti ea
 adimpleant liberaliter communi-
 cat, Ipse enim est qui *dat velle & perfi-
 cere*, vt inquit Apostolus.

Et hæc de dignitate ac vtilitate le-
 gis, Doctrinæ & consiliorum Christi,
 quæ Ecclesiæ suæ tradidit, dicta suffi-
 ciant, & ad pastores quibus Ecclesiam
 suam regendam commisit transe-
 mus.

Ante-

Antequam tamen hunc sermonem
abrumparamus, gratias agamus bono
nostro Domino & Magistro pro lumi-
ne fidei, & Magisterio Sacrarum Scri-
pturarum ac Traditionum, præcepto-
rum & consiliorum, eumque rogemus
vt nos ijs conformari faciat: & si hæc
consilia emissis votis amplexi simus,
cum Propheta dicamus, *Confirma Do* *psal. 67.*
mine quod operatus es in nobis.

CAPVT VIGESIMVM
NONVM.

*De Dignitate & authoritate Pastorum
& Prælatorum Ecclesiæ
Christianæ.*

CVM iam à Christo Ecclesiæ suæ de
doctrinis, legibus, & consilijs pro-
uisum esset, quid ei aliud deerat, quam
idoneæ personæ quæ eam regerent &
tranquilla in pace conseruarent: Sæpè
enim doctrinæ & leges chartaceis in-
scriptæ voluminibus, si eas nullus vt
debet explicet applicetque, inutiles
esse solent. Instituit quidem Christus
vt supra vidimus Sacramentum Ordini-

P nis